



Per.  
Lat  
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse  
Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catho-  
licorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — ad-  
ministration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER  
REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction),  
ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR.,  
Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 468—099).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Preium subnotationis an. 1942—43: 3 pengoe, extra  
Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postal is in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gen-  
tium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulus «Coupon réponse internationale» appellatis, quarum si quis  
decem in epistola ad administratorem mittit, preium annum solvit.

### Stephanus e nobilibus Horthy.

Lectoribus mediis scripserunt Alexander Weber disc. Sch.  
Piarum Bp. et Hugo Rácz disc. Makonensis.

«Quis desiderio sit pudor aut modus tam cari-  
capitis?»<sup>1</sup> etiam nos afflicti exclamavimus, cum  
die festo laetissimo nationis, i.  
e. die S. Stephani regis vice-  
gubernator noster aéropano  
infeliciter delapsio repentina  
mortem obiit.

Stephanus Horthy a. 1904 in  
urbe Pola natus, postquam in  
Academia Polytechnica Bud-  
apestinensi diploma machinatoris<sup>2</sup>  
adeptus est, in fabrica<sup>3</sup> machini<sup>3</sup>  
construendis<sup>3</sup> Csepeliensi, poste  
in America, apud Fordium  
laboravit. Inventum quoddam  
viri ingeniosi rex automobilium  
clarus ad usum in fabricis suis  
acepit. In patriam reversus  
functionarius, deinde praeses  
Mávag,<sup>4</sup> mox M. Á. V.<sup>5</sup> factus  
totum se condicionibus opera-  
riorum corrigendis dedit: offici-  
um<sup>6</sup> rei<sup>6</sup> sanitariae<sup>6</sup> amplifi-  
cavit; orphanotrophea,<sup>7</sup> vale-  
tudinaria aedificari iussit, et  
mercedes iuste ordinavit. Quo-  
modo Stephanus Horthy m.  
Februario a. 1942. Viceguber-  
nator creatus esset, tum nunti-

avimus (m. Martio). Unus erat ex aviatoribus  
singularibus. Impedimenta naturae industria super-  
rans officia volatoria etiam audacissima praestit. Cumulum volationibus suis Budapestino in urbem  
Bombay aéropano parvo solus volans attulit. Fautor optimus iuventutis et rei gymnasticae,  
praeses Societatis «Diákaptár»,<sup>8</sup> unus fuit ex  
ducibus Societatis Exploratorum<sup>9</sup> Hungaricorum,  
et curam haud mediocrem adhibuit ad disci-  
pulos pauperes adiuvando.

Stephanus e nobilibus Horthy  
ante hos aliquot menses in  
Russiam occupatam volavit, ubi  
certaminibus aériis adisset et  
exemplum militibus, quibus  
pace praefectus, bello autem  
commilito<sup>10</sup> valde acceptus fuisse-  
set, praeberet: unde — pro<sup>11</sup> —  
vivus numquam reversus est.  
Gens Hungarica, quamquam  
detrimenito irreparabili luctu-



Steph. Horthy cum uxore in urbe Kiev  
rediens e claustro Lavra.

<sup>1</sup> Hor. Carm. I 24, 1—2. <sup>2</sup> gépész-  
mérők = Maschineningenieur =  
ingénieur mécanicien <sup>3</sup> gépgyár =  
Maschinenfabrik = chantiers de con-  
struction (mécanique) <sup>4</sup> fabricae fer-  
rariae ferriviarum Hungaricarum  
<sup>5</sup> ferriviae Hungaricae publicae  
<sup>6</sup> egészségügyi szolgálat = Sanitäts-  
dienst = service de santé <sup>7</sup> árvaház —  
Waisenhaus = orphelinat <sup>8</sup> societas  
discipulorum res necessarias publice  
colligentium <sup>9</sup> cserkész = Pfadfinder  
= boy-scout <sup>10</sup> bajtárs = Kriegs-  
kamerad = camarade <sup>11</sup> sajnos =  
leider = hélas



Pompa funebris Stephany Horthy iu ponte Suspenso Budapestinensi.

affectus, superbiā iustā ambiguis temporibus obviam it sanguinem huius heros non frustra profusum saluti fore vitae futurae nationis sperans. «Quotiens» enim «de viris claris recordamur, conscientia iacturae<sup>12</sup> in cultum idealium, quarum mortuus ille praeclarus, dum vivebat, minister erat, impercepte<sup>13</sup> coalescit sicque nubes tristitiae candore gloriae nationis velut inauratur.»<sup>14</sup>

Vale, Stephane Horthy, in aeternum vale!

«Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt!»<sup>15</sup>

<sup>12</sup> veszteség = Verlust = perte    <sup>13</sup> non animadverse  
<sup>14</sup> verba Pauli Gyulai    <sup>15</sup> Verg. Aen. I 543.

## S. O. S.

Ex commentariis S. Széchenyi, quibus «Venationes in Alaska» inscribitur. Latine redditio: I. Guelmino.

Dr. Haverstack, medicus, vir vere amabilis est. Genu meum, propter contusionem<sup>1</sup> colore violaceam, magis magisque maius fit et tumescit.<sup>2</sup> Medicus spectat, attractat,<sup>3</sup> torquet, flectit hoc et illuc, oblectatur.<sup>4</sup> «Ossa valida habes, — inquit demum — integra, non fracta. Sed tumorem<sup>5</sup> quoque habes ingentem, qui ut residat,<sup>6</sup> quiete indiges unius tantum hebdomadis.»<sup>7</sup>

— Et cur ego in Alaska moror, — interrogo eum, quasi rem prorsus irrefutabilem<sup>8</sup> dicens — venandi aut me curandi causa?

— Non semper nostrum est facere, quod volumus; — respondet quiete, et claudicans<sup>9</sup> sellam admovet lecto meo, assidensque — ante duos annos factum est, quod mihi nunc in mentem venit, — pergit — in parvo pago Indiano, nomine Kulukat, qui inde septingenta quinquaginta chilometra abest. Constituimus scilicet, ut Indiani ibi, in immensa vastitudine<sup>10</sup> silvarum,<sup>10</sup> ut potest moris<sup>11</sup> melioris<sup>11</sup> fierent.<sup>11</sup> Quod ut prospere<sup>12</sup> evaderet,<sup>12</sup> magistrum apportavimus eis, quae eos nonnulla artifia doceret: quomodo manibus laborandum esset, quomodo ratio<sup>13</sup> vivendi<sup>13</sup> attolliri posset, quomodo aegroti curarentur, etc. Et ut aliquid lucis animo acciperent, etiam scribere et legere docebantur.

Magistrai ad tale negotium obeundum<sup>14</sup> plurimae inveniuntur, quia solitudinis cupidae, animosae et fidissimae sunt. Viri non sunt opportuni ad talia negotia obeunda, quia indigenae<sup>15</sup> brevi efferati fiunt. Feminae nunquam.

Accidit autem, ut magistra pagi Kulukat maximo incommodo<sup>16</sup> implicaretur,<sup>16</sup> cum aliquando venatum iens, sclopeto<sup>17</sup> pedem ex improviso ita vulneraret, ut domum revertere nullo modo potuerit. Qui comitabatur eam, Indianus, nomine Wampum, vulnus pannis<sup>18</sup> scisis<sup>18</sup> ligavit, cui in pagum auxilium ferendi causa recursuro: «Simulac — dicit domina, — misso iam auxilio intraveris in cubiculum meum, aperi missorem<sup>19</sup> radiphonicum,<sup>19</sup> et ut ego te docui, incipe signa dare. Terna brevia et longa et iterum tria brevia: tititi-tat-tat-tititi. Quae dabitis sine intermissione, donec domum portata ero. Intellexisti?»

— Intellexi, respondet ille, et iam avolavit.

Signa per totum orbem terrarum nota S. O. S. sunt. Wampum probus, ut iussum erat, omnia recte peregit. Domina domum portata repperit eum apud mensam radiotelephoniam signa diligenter S. O. S. mittentem. Signa in navibus Oceani Pacifici excepta sunt. Nihil aliud autem, tantum S. O. S.! Commoti igitur sciscitabantur, quis auxilium roget. Et nihil aliud respondebatur, nisi S. O. S., quia Wampum ignarus erat missoris radiotelephonici administrandi. Neque signorum Morse gnarus erat et quantum potuit, fecit, signa tititi-tat-tat-tititi missitans.

Finis sequetur.

<sup>1</sup> zúzódás = Quetschung = contusion    <sup>2</sup> dagad = anschwellen = s'enfler    <sup>3</sup> tapogat = betasten = tâter    <sup>4</sup> szrákózik = sich unterhalten = se divertir    <sup>5</sup> daganat = Geschwulst = tumeur    <sup>6</sup> lelohad = sich setzen = se dégonfler    <sup>7</sup> a héj = Woche = semaine    <sup>8</sup> megcáfoltatlan = unwiderlegbar = irrefutable    <sup>9</sup> sántikál = hinken = boitiller    <sup>10</sup> öserdő = Urwald = forêt vierge    <sup>11</sup> civilisarentur = sikerrel végződik = gelingen = réussir    <sup>12</sup> életszínvonal = Lebensstandard = niveau de vie    <sup>13</sup> elvállal = unternehmen = se charger de    <sup>14</sup> bennszülött = Eingeborener = indigène    <sup>15</sup> bajba kerülni = vom Übel erreicht werden = se mettre dans un mauvais cas    <sup>16</sup> paska = Flinte = fusil    <sup>17</sup> rongydarabok = Fetzenstücke = lambeaux    <sup>18</sup> d'étoffe = rádiókészülék = Rundfunkapparat = appareil de T. S. F.

## Petöfi: Prospicio per fenestram...

Prospicio per fenestram equidem,  
Specto illam vigilantem militem,  
Iuxta sagum ligneum it saepius  
Gravitate magna, sicut regulus.

Sic me quoque gressum olim cerneret,  
Nam et ego militabam ut pedes,  
Ante nigra-fulva ligna curabam  
Pugionem terribilem micandam.

Sub manica vitulina sudavi,  
Pedes pulchros caligulis ornavi,  
Siste gradum! — hoc sonabat vox mea  
Et verrebam castrorum in area.

Gloriosa vita, cursus militum,  
Me pudet te reliquise infidum,  
Pudet me iam abiecssisse facile  
Querneam coronam scopas focile.<sup>1</sup>

Sed perdidit, heu, me Deus admodum,  
Cum a vita destituisse heroum,  
Poeta sum factus tantum pervagus  
Ibi forsitan essem abhinc decanus.<sup>2</sup>

Latine redditio: Vinc. Bors Szegedinensis.

<sup>1</sup> sclopetum    <sup>2</sup> decurio

## Geographica.

Carissime Domine Moderator!

Quia dixisti Te de Lacu Pelsoni<sup>1</sup> aliquid edere velle, nunc, cum aestatem loco pulcherrimo litoris Somogyensis in vicino Fonyód transigo, laetitiam afferit mihi maximam, Tibi de pulchritudinibus huius regionis scribere. Locum pulcherrimum Lacus Pelsonis Fonyód nominavi. Imaginare<sup>2</sup> conspectum magnificum, quo hic delectamur: in litore contrario Mons Badacsóny atque montes ignivomi<sup>3</sup> extinti, Csobánc, Gulács, Szigliget cernuntur, in litore autem Somogyensi spectamus in summo monte arduo templum parvum, iuxtaque silvam. Libentissime vesperascente caelo hanc regionem contempnor, cum aqua Lacus Pelsonis placidissima est, montes nebulā pallidā velantur, sol autem purpureus pone Montem Badacsóny occidit.

Tempus potissimum natando et ambulando agimus, ambulantes enim saepe res memoratu dignas comperimus. Ut exemplo utar, ad turfam<sup>4</sup> invisandam profectae sumus. Sólum uliginosum<sup>5</sup> transeuntes caricibus<sup>6</sup> ulvisque<sup>7</sup> abundans operarios conspeximus, ex quibus unus nobis monstravit turfam nondum excisam superne argillae<sup>8</sup> similem, infra autem fuscum. Turfa harpaginibus excisa machinā premitur et commiscetur, deinde in partes aequabiles conciditur, quo facto postquam sub divo exaruit, alimentum ignis et materiam ad stercorandum<sup>9</sup> praebet. Alio tempore in coloniam<sup>10</sup> piscatorum<sup>11</sup> ivimus pisces empturae, ibique farinam<sup>11</sup> pisceam<sup>11</sup> cognovimus. Pisces enim parvuli vescendo non apti vapore fervido, loco hermetico tosti sicut frumentum, moluntur. Farina piscea sic accepta potissimum suibus saginandis<sup>12</sup> utilis est, septenas enim centesimas phosphori continet, quapropter ossa animalium corroborat.

Haec sunt res memoratu dignae Fonyodienses, quas etiam ego vidi. Nunc autem sperans litteras meas in IUVEN-TUTE prodituras esse, reverenter

plurimam Tibi dicit salutem

Verona Szlávák disc. Angelani Bp.

<sup>1</sup> Balaton <sup>2</sup> ante oculos tibi propone <sup>3</sup> ignem evomentes <sup>4</sup> tőzeg = Torf = tourbe <sup>5</sup> nyírkos = feucht = moite <sup>6</sup> sás = Riedgras = carex <sup>7</sup> káka = Schilf = jonc <sup>8</sup> agyag = Tonerde = argile <sup>9</sup> trágyáni = düngern = amender <sup>10</sup> halásztelep = Fischerei = pécheries <sup>11</sup> halisz = Fischmehl = farine au poisson <sup>12</sup> hizal = mästen = engraisser

## Pensum historicum in speculo<sup>1</sup> proverbiorum Latinorum.


Cassis radiis solis hiberni etiam nos hilares redditis impletur. Quamquam non est, quo gaudemus: magister historiae diarium classis iam clausit. Nunc igitur examinabimur, — percurrit nos omnes cogitatio horrenda. De aetate Anjou non facile est dicere: praeter modum multa «commiserunt» (multas res gesserunt). At adversaria<sup>2</sup> magister nondum promit. Fortasse non examinabimur? — venit subito nobis in mentem, et iamiam gaudere coepimus. Heu, sed recte dixit Solon revera: «Nemo ante

mortem beatus.» Magister nihil nisi haec dicit: De statu culturali Hungariae medio saeculo XIV. Verba pauca, sed haec enuntiatio brevis consequentias tristes habet. Chartae<sup>3</sup> comparent, quibus manu trementi inscribimus titulum pensi.

Hoc adhuc bene est, postea autem quid scribimus? Titulus tantum dictatus est, at porro non sufficit<sup>4</sup> litteram H solam scribere, sicut unus e nobis aliquando fecerat. Rursus proverbii Latini venit mihi in mentem: «Repetitio est mater studiorum.» Et quia inter<sup>5</sup> omnes constat<sup>6</sup> stilum rem doctam esse, consilio magnifico mandare coepi, et secundum proverbium «Inter duos litigantes tertius gaudet,» tertius — id est charta — gaudet, cui sic in<sup>6</sup> praesens<sup>6</sup> litterae meae etiam vestigiis<sup>7</sup> felis<sup>7</sup> mirabiliores non patiendae sunt. At «Hic aut vincendum, aut moriendum est.» Itaque pergo stilum mandare, quia «Dum spiro, spero. Denique stilus «doctus» persuadet, ne vicinum ad eas consulturus, nam etiam ipse consilium sapiens tibi dat, dummodo valde mandas. Nunc iam spero: «In hoc signo (scilicet stilo) vinces!»

«Verba volant, scripta manent.» (scilicet verba mihi volant in capite, scripta manent in charta), stilus autem usu deteritur, et infra, et supra. Interea complures interrogations ad me veniunt, responsa celeria exspectantes, quia «Bis dat, qui cito dat». A Domino magistro admonitus: «Et tu, mi fili, Brute?» cohorresco,<sup>8</sup> deinde quiete respon-

<sup>1</sup> tükr = Spiegel = miroir <sup>2</sup> notesz = Notizbuch = calepin <sup>3</sup> papírlap = Papierblatt = feuille de papier <sup>4</sup> elegendő = genügen = suffire <sup>5</sup> köztudomású = allgemein bekannt = il est de notoriété publique <sup>6</sup> egyelőre = einstweilen = quant à présent <sup>7</sup> macskakaparás = Kritzelei = écriture de chat <sup>8</sup> összerezzen = zusammenschauern = tressaillir



Prospectus, qui in litore Fonyodiensi ad montes Badacsouy, Gulács, etc. praebetur.



Lectores nostri magisterque Emericus Bartos dr. in Barossiano Szegedinensi.

sum transmitto. «*Quid hoc* (scilicet admonitio) *ad aeternitatem?*» — puto. Sed tempus labitur.<sup>9</sup> Festino igitur. Vero, res mirifica est! quin<sup>10</sup> etiam<sup>10</sup> molesta! Dum discipuli examinantur, tempus, lente labitur, mox mihi scribere volenti iam non suppetit.<sup>4</sup> Iam finis est horae. Chartae colligendae sunt, et «*Alea iacta est.*»

E sellis lente surgimus. Vultus omnium desperationem hebetatam<sup>11</sup> ostendit. Etiam stilus meus tristis gemit, et partes in ore meo dilapsas<sup>12</sup> lacrimat. Igitur «*Sunt lacrimae rerum.*» Titubantes<sup>13</sup> in porticum eximus. Parumper nemo sciscitari de eventu pensi audet. Spes enim est unica fore, ut errores oculos domini magistri fugiant, quia «*Aquila non captat muscas.*» Et insuper «*Errare humanum est.*» Denique unus e fortioribus subito interrogat: «Quomodo evenit? Responsum est breve, sed grave «*Sors bona, nihil aliud.*»

Gabriel Szász disc. Barossiani (Szeged).

<sup>9</sup> praeterit <sup>10</sup> söt = sogar = et même <sup>11</sup> elfásult = apathisch = apathique <sup>12</sup> elmálik = sich auflösen = s'émietter <sup>13</sup> támolyog = taumeln = tituber

## De sacramentis<sup>1</sup> militum orbis terrarum.

In plerisque civitatibus milites rite militiae sacramento obligantur. Hoc modo officium militare convenienter cum doctrina Christiana de origine auctoritatis profanae subditur numini divino. In actis<sup>2</sup> diurnis<sup>2</sup> Coloniensis<sup>2</sup> commentariolus<sup>3</sup> lectu dignus de formulis iurandi militum usu receptis in diversis civitatibus editus est. In Germania sacramentum his temporibus sic dicitur: «Per Deum iuro hoc votum sacrum me duci imperii Germanici, Adolfo Hitler, summo imperatori militiae maxima cum oboedientia servitum fortemque me militem omni tempore paratum fore ad hoc votum vel amittendā vitā meā persolvendum». Miles Italus hoc iurandum iurat: «Iuro me fidem regi eique succedentibus servaturum, leges civitatis diligenter securum, cuncta officia militiae ad salutem regis patriaeque oboedienter ac pie facturum esse».

Brevissima formula iurandi tironum Batavorum<sup>4</sup> ante bellum fuit: «Fidem iuro reginae, oboedientiam legum, modestiam disciplinae militari. Ita me Deus adiuvet!» Milites Britanni in nomen regis iurantes haec dicunt: «In nomine

Dei omnipotentis iuro me maiestati Georgio VI. regi, item successoribus heredibusque eius servum obtemperantem ac fidelem fore, meque militari officio fungentem nunquam<sup>5</sup> non<sup>5</sup> cum honestate et fide conaturum esse omnes amicos defendere, imperata Maiestatis et successorum heredumque eius, item legatorum et praefectorum<sup>6</sup> militum<sup>6</sup> nec non omnium, qui mihi praesint, facere. Ita me Deus adiuvet!» Finis sequetur.

Julius Holpert disc. VIII. cl. gymn. Cisterciensium Bp.

<sup>1</sup> eskü = Eid = serment    <sup>2</sup> Kölische Zeitung    <sup>3</sup> cikk = Artikel = article    <sup>4</sup> Hollandorum    <sup>5</sup> semper    <sup>6</sup> tiszta = Offizier = officier

## Nuntii recentissimi.

Numerus 300-us JUVENTUTIS mense Junio editus est. Nunc ineunte anno XXVII-o ephemeredis nostrae omnes amicos socios lectoresque rogamus, ut moderatorem eadem qua adhuc benignitate adiuvare velint.

**Nuntii bellici.** Mensibus praeteritis in Africa Anglis repulsis Germani Italique iam prope ostium Nili dimicant. In Russia captis urbibus Sebastopoli, Charkovio, Rostovio, Crasnodari multisque aliis iam Caucasus mons oppugnat, cuius in cacumine Elbrus nominato iam vexillum<sup>1</sup> Germanicum vento agitatur. Etiam milites nostri pro sua parte viriliter libertatem fidemque christianam contra bolshevistas atheos defendunt. Quo in certamine etiam filius Gubernatoris nostri immatura morte abreptus ingenti luctu afflxit cum parentes et uxorem tum etiam patriam. Angli, postquam portum Dieppe in Gallia frustra aggressi sunt, Americanis auxiliantibus impetum in portum Gallicum Dacar in Africa facturi sunt, aliter enim Russis auxilium ferre non possunt. Interim primores Indiae, quia libertatem patriae poscere non desinunt, una cum duce Gandhi ab Anglis in vincula coniecti sunt. Sic bellum omnium contra omnes geritur.

**Vivum Latinum.** Poëta notus Milanus Füsi novam suam fabulam<sup>2</sup> romanensem,<sup>2</sup> quae inscribitur «Historia uxoris meae» precibus latini-

<sup>1</sup> zászló = Fahne = étandard    <sup>2</sup> regény = Roman = roman




Gandhi veste Europaea indutus.

tatem medii aevi imitantibus inchoat. Quamquam conatus laudabilis est, tamen nonnullae locutiones mendosae sunt, e. c.: «oculos sanctos tuos in inopiam nostram conjicere non gravator» (recte: noli gravari seu ne gravatus sis).

**Programma ludorum latinorum in memoriam Livii a thygatrogymnasio Ursulano Scarabantino editorum:** Spectatores Elisabeth Cora salutavit. De vita meritisque Livii Clara Komlós, Juditha Pintér, Erica Tóth recitaverunt. Praeter fabulas scenicas latinas, quae inscribuntur «Cornelia» et «Ara Puditiae», a Clara Komlós, Gisela Sándly, Elisabetha Kapiller compositas discipulae declamationibus canticisque auditores delectaverunt.

In Annalibus<sup>3</sup> gymnasii Hunfalvayani Cassoviensis socius noster Arnoldus Pányi commentariolum latinum «Ave Tite Livi duo milia annorum nate» intitulatum edidit demonstrans, quomodo dignissime scriptores antiquitatis clari celebrari possent.

**Nuntii varii.** Iulius e comitibus Károlyi, gener Gubernatoris nostri cum aeroplano in Danubium decidit et infeliciter perii. Cadaver vixum inveniri potuit. — Sigismundus Móricz, unus ex optimis scriptoribus Hungariae, cuius narratio pulchra



3. Ruina domus Budapestinensis a Russis nocte dirutae, ubi duae puellae educatrixque dormientes sub ruina perierunt.

«Septem nummi» in IUVENTUTE m. Maio a. 1935 edita est, 63 annos natus, apoplexiā mortuus est. — Russi bolscevistae novissime etiam Hungariam pyrobolis turbare conantur: Budapestini templum compluresque domos civium pacate dormientium destruxerunt.

<sup>3</sup> évkönyv = Jahrbuch = annuaire <sup>4</sup> agyvérzés = Schlaganfall = apoplexie

## LECTORIBUS MINIMIS.

### locosa.

1. **Baptisma.**<sup>1</sup> In societate feminarum de baptimate agitur. Puella stulta dicit: «Mihi maxime placebat, cum avus<sup>2</sup> meus baptisabatur!» — «Stulta es, — vituperat mater non minus stulta — quomodo meminisses<sup>3</sup> baptismatis patris mei? Tum enim etiam ego parva filia eram!»

2. **Deversorium<sup>4</sup>** in Russia bolscevistica. Caupo<sup>5</sup> iam primā luce pulsat ianuam cubiculi: «Quaeso, tovaris,<sup>6</sup> expurgiscere<sup>7</sup> et surge!» «Cur surgam, — interrogat hospes — dormire etenim volo!» — «Hoc non est faciendum, — respondit caupo — nam statim veniunt alii hospites, qui ientare<sup>8</sup> volunt et opus est linteo<sup>9</sup>, nam id est etiam mantele!<sup>10</sup>

3. **Homo abstiens.** Homo amicum suum adit<sup>11</sup>, qui forte ientat. Amicus libenter invitat: «Ienta, quaeso, mecum!» — «Gratias ago, sed nolo ientare.» — «Cur non vis?» — interrogat amicus necopinans. «Complures causae me impellunt. Primum non soleo ientare, deinde hodie ieunium<sup>12</sup> servandum<sup>13</sup> est, postremo iam — ientavi!»

4. **Bonum pluvial.**<sup>14</sup> In taberna homo iratus mercatorem querit, mox advenientem vehementer increpat:<sup>15</sup> «Vide hoc pluvial, septem diebus ante emi et iam omnino pessum iit!» — Mercator mirans hoc illuc versat, deinde dicit: «Non intellegere possum, domine, sed forsitan maduit<sup>16</sup> hoc pluvial?»

<sup>1</sup> keresztelő = Taufe = baptême <sup>2</sup> nagyapa = Großvater = grand-père <sup>3</sup> emlékezhetnél = könntest du dich erinnern = pourrais-tu te souvenir <sup>4</sup> szálloda = Gasthof = hôtel <sup>5</sup> kocsmáros = Gastwirt = aubergiste <sup>6</sup> nomen Russicum: elvtárs = Volksgenosse = camarade <sup>7</sup> ébredj = erwache = réveille-toi <sup>8</sup> reggelizni = frühstück = prendre son petit déjeuner <sup>9</sup> lepedő = Leintuch = drap (de lit) <sup>10</sup> asztalterítő = Tischtuch = nappe <sup>11</sup> meglátogat = besuchen = visiter <sup>12</sup> böjtöl = fasten = jeûner <sup>13</sup> esernyő = Regenschirm = parapluie <sup>14</sup> ráförméd = anherrschen = rudoyer <sup>15</sup> tönkre megy = zugrunde gehen = se détrouquer <sup>16</sup> megázik = naß werden = être mouillé

Jos. Tóth dr. (Pestszentlőrinc).

1. **Duae columbae colloquuntur:** Altera: «Audisti-ne? Filius meus maximus tabellarius<sup>1</sup> est factus. Toto die epistulas hominibus apportat.» Tum altera: «Admiror, inquit, tam stultum esse eum. Cur se<sup>2</sup> fatigat?<sup>2</sup> Quare non mittit epistolas per cursum publicum (postam)?

2. **Discipulus pauper olim cum epistolam accipisset ab amico, responsum ei mittere voluit.** At tam erat pauper, ut pittacium<sup>3</sup> emere non potuerit. Ergo responso hoc postscriptum addidit: «Noli mihi irasci, quod pittacium oblitus sum involucro<sup>4</sup> agglutinare. Errorem enim tum primum animadverti, cum epistola iam a cursu publico ablata erat.»

Frid. Kreiner disc. Sch. Piarum (Nagykanizsa).

1. **Emptrix<sup>5</sup>:** Paulo ante huc misi filiolum meum, ut chilogramma mälorum<sup>6</sup> emeret. Domi ego quoque ponderavi<sup>7</sup> mala, octavam partem deesse constitui. — Venditrix: Ponderatio mea certe recta est, quia libra<sup>8</sup> mea recte ponderat. Sed, sodes,<sup>9</sup> ponderes, antequam et postquam emit, — filiolum!

2. **In quadam coemeterio<sup>10</sup> permagno urbis Neo-Eboraci (New-York), in cippo<sup>11</sup> quodam haec commendatio<sup>12</sup> legi potest:**

«Hic requiescit Ioannes Smith. Cui, revolverio

<sup>1</sup> levélhordó = Briefträger = facteur <sup>2</sup> fáradozik = sich bemühen = se peiner <sup>3</sup> békely = Briefmarke = timbre-poste <sup>4</sup> boríték = Briefumschlag = enveloppe <sup>5</sup> vevő(nő) = Käuferin = client <sup>6</sup> alma = Apfel = pomme <sup>7</sup> mérlegre tesz, lemér = wägen = peser <sup>8</sup> mérleg = Waage = balance <sup>9</sup> tessék = bitte = s'il vous plaît <sup>10</sup> temető = Friedhof = cimetière <sup>11</sup> sírkő = Grabstein = pierre sépulcrale <sup>12</sup> hirdetés = Reklam = réclame

artis Colt uso, contigit<sup>13</sup> puncto temporis emori, quod tibi quoque, si sic fata tulerint, auxilio erit.»

In alio lapide hoc est inscriptum: Sub hoc lapide habebit requiem Jacobus Balton, qui nunc temporis procurator<sup>14</sup> est fabricae calceamentorum<sup>15</sup> optimorum. Levissime invenitur in 15. platea, No 57.

Lad. Csaba disc. gym. Acad. Bp.

1. Rustico cum in curru electrico fumat,<sup>16</sup> conductor: Nonne, dicit, vides inscriptionem «Fumare vetitum<sup>17</sup> est?» — Rusticus paulum cogitat, deinde interrogat: Uterisne aquā<sup>18</sup> purgativā?<sup>19</sup> — «Minime respondet conductor. — «Cur non uteris? Nonne vides hanc alteram inscriptionem: Utēre aqua purgativa Igmándi!»

2. Paulus: Quantum progressum in (arte) musica fecisti? — Petrus: Certe magnum. Initio enim, cum fidibus<sup>19</sup> canebam<sup>19</sup>, duo canes in horto nostro latrabant, nunc autem iam tantum unus.

Stephanus de Csinády disc. Piani (Pécs).

<sup>13</sup> sikerült = gelingen = réussir    <sup>14</sup> üzletvezető = Geschäftsführer = gérant    <sup>15</sup> cipő = Schuh = chaussure    <sup>16</sup> dohányoz = rauchen = fumer    <sup>17</sup> tilos = verboten = défense de    <sup>18</sup> keserűvíz = Bitterwasser = eau purgative<sup>19</sup> hegedül = Violin spielen = jouer du piano

**Calliditas<sup>1</sup> feminina.** Agricola quidam mortem suam iam haud procul esse sentiens coniuge sua praesente sic exclamavit: «Vae mihi, qui per omnem vitam tam multa peccaverim! Utinam tot vitia saltē<sup>2</sup> quodam modo expiare possim! Itaque oro te, uxor, ut me mortuo optimum boum nostrorum vendas eiusque pretium pauperibus dones.» Paulo post vir mortem<sup>3</sup> obiit.<sup>3</sup> Femina consilium mariti peractura<sup>4</sup> non solum bovem egit in forum<sup>5</sup> boarium, sed etiam gallum<sup>6</sup> eo secum tulit. Unus ex hominibus aliquid vendituri<sup>7</sup> quaequivit, quanti<sup>8</sup> bovem emere posset. Vidua<sup>9</sup> agricultae respondit: «Bos tantum uno pengone, at gallus constat<sup>10</sup> trecentis pengonibus, neque autem bos sine hac ave venditur.» Frustra rusticus plus promittebat pro bove, hoc tamen animal ei una cum gallo emendum erat. Deinde callidissima uxor agricultae mortui pauperibus unum pengonem dedit, sed pretium galli sibi retinuit.

Arnoldus Pányi Cassoviensis.

<sup>1</sup> rāvaszság = Schluahheit = ruse    <sup>2</sup> legalább = wenigstens = au moins    <sup>3</sup> mortuus est = ut perageret    <sup>4</sup> állatvásár = Viehmärkt = marché aux bestiaux    <sup>5</sup> kakas = Hahn = coq    <sup>6</sup> vendere volentibus = mennyírt = zu welchen Preise = pour combien    <sup>7</sup> özvegy = Witwe = veuve    <sup>10</sup> kóstál, kerül = kosten = coûter

**Iuvenis promptus.** Revera non videbatur talis esse, qualem bonum mercatorem esse oportet: infirmus, timidus et ineptus<sup>1</sup> erat. Denique invenit quandam virum probum. Notus pellio<sup>2</sup> erat is ex parte urbis interiore. Hic ausus est virum experimento cognoscere. — «Bene est, iuvenis, — inquit — mercede<sup>3</sup> conduco<sup>3</sup> te temptandi causa.» «Promitto tibi fore, ut te non poeniteat...» — «Mihi non satis faciunt promissa. Hoc ipso die cognoscere volo, qualis sis. Hanc rationem<sup>4</sup> iam sepius frustra misi debitori.<sup>5</sup> Ergo Tibi committo exactionem<sup>6</sup> huius pecuniae. Si ei persuadere potes, ut solvat,<sup>7</sup> carus acceptusque mihi eris.» — «Certe solvet. Sed unicam explicationem rogo. Putasne hunc dominum habere alias rationes multas nondum solutas apud creditores diversos?»

Mercator fere ululans risit. — «Habetne? Ubique habet! Notus est in urbe tota. Plurimis collegarum meorum omnis spes<sup>8</sup> adeo adempta<sup>8</sup> est, ut eum iam non amplius moneant. Iuvenis gaudens terit manus suas, deinde volat ad virum. Duabus horis post reddit. — «Hic sunt duo milia pengonum», — dicit mercatori et pecuniam deponit. Mercator terit oculos suos et numerat pecuniam. Qualem vim magicam! Denique dicit: «O mi iuvenis! Quomodo hoc expugnasti?» — «Quam simplicissime. Duxi homini: Si non soluturus est, omnes eius in hac urbe creditores adibo et eis dicam...»! «eum non solvisse! Sed hoc iam pridem sciunt — «Non, non!... eum mihi solvisse».

Esther Andorka disc. thygatrogynasii Kaposvariensis.

<sup>1</sup> félszeg = linkisch = maladroit    <sup>2</sup> szúcs = Pelzhändler = pelletier    <sup>3</sup> felfogad = engagieren = engager    <sup>4</sup> számla = Rechnung = facture    <sup>5</sup> adós = Schuldner = débiteur    <sup>6</sup> behajtás = Einkassieren = encaissement    <sup>7</sup> fizet = zahlen = payer    <sup>8</sup> reményét veszti = die Hoffnung aufgeben = désespérer

## LECTORIBUS MAIORIBUS

### Systema stenographiae S.-is Taylor. (4)

Ad linguam latinam accommodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

### Institutiones stenographiae.

**S. I. Principia generalia.** 1. In scriptura stenographica perinde, ut in vulgari, vocabula e literis componuntur. 2. Literae stenographicae sunt linearum & notarum omnium brevissimae. 3. Vocabula stenographice scribuntur, ut sonant, nulla plane ratione habita orthographiae ab etymologiae ductae. 4. Quodvis vocabulum tantum consonantibus suis designatur, praetermissis omnibus vocalibus, excepta ea, quae aut in principio aut in fine vocis occurrit.

Nihil nos morari debet, quod quidam objiciunt, hoc modo vocabula diversa, quibus, omissis vocalibus, eadem consonantes remanent, satis discerni non posse. Haec enim difficultas, data mox infra uberiore rei explanatione, omnis evanescet. Quo facilius autem pracepta singularia scribendi ac legendi intelligi possint, explicandae sunt primum figurae notarum stenographicarum, earumque formandi ratio, tum significatio, ac denique modus easdem rite connectendi.

**S. II. De figura & formatione notarum stenographicarum.** Cum ad formandas notas stenographicas lineae quam brevissimae adhibeantur, nullaque earum brevior reperiatur, quam recta & circularis: nostrae quoque notae sunt rectilineae, semicirculares, aut ex utrisque compositae. Idem vero signum, pro diverso situ, diversam quoque significationem induit. Cum autem quam plurimum intersit, illarum formandarum rationem bene nosse, atque hanc eodem constanter modo ita exsequi, ut easdem certa forma dignoscere, stabilique mensura, oculis facile dimetri, liceat: omnem earum copiam hic ob oculos ponere, formationisque pracepta breviter subjungere visum est, quo altius discentis in memoriam defigerentur.

Continuabitur.



## De viris illustribus.

Duo viri nuper a Gubernatore nostro pro meritis cruce media Ordinis bene merentium stella addita ornati sunt, quorum vitam et facta praetermittere non possumus, quin breviter enumeremus.

I. Dr. Paulus Gerinczy natus in Odvas, in comitatu Aradiensi, die 8. Maii, a. 1906. Absolutis studiis suis gymnasialibus Magnováradini et in Kecskemét, ordinem canonicorum Praemonstratensium a. 1924 in Castro Jászó iniit. Gradum doctoris philosophiae scholasticae, dein sacrae Theologiae, ac demum iuris canonici Romae adeptus est. A. 1930 ab Eminentissimo cardinali Ludovico Sincero, legato apostolico Pii XI Papae tunc temporis ex occasione anniversarii nongentesimi piae S. Emerici Ducis in Domino obdormitionis in Hungaria degenti, in Gödöllő ad sacram ordinem presbyteratus est promotus.

Initio in Gödöllő, ac Budapesti in collegio Norbertino munere praefecti studiorum clericorum ordinis fungebatur; a. 1937 Dei miseratione et Apostolicae Sedis gratia Prior canoniae de Gödöllő in sui iuris canoniam paulo ante evectae factus statim in Promontorio Budensi novum gymnasium ordinis fundavit, itemque gymnasio Hungarico Norbertino Gödöllöensi adstruit aliud, id est *Gallicum gymnasium*. Quamquam onus aedificationum in Gödöllő iam antea factarum proventus possessionum intra fines Trianonicos remanentium superavit, tamen oeconomia correctā tam prospere continuata est externa et interna — spiritualis videlicet — canoniae florificatio, ut Prior e Sanctae Sedis benignitate consecrationem abbaticalem quoque obtinuit.

Cum pleraque partes regni Hungariae restituerentur, Paulus Gerinczy praepositurae antiquissimae de Castro Jászó XX annis ante amissae item Magnováradensi abbas est praepositus, deinde antiqua canoniae gymnasia Cassoviae, Rosnaviae et Magnováradini activitate indefessa restauravit, ac denuo Hungaricae iuuentuti educandae et instruendae dicavit. Canonici Praemonstratenses praepositurae de Castro Jászó iterum unitae, post tot discrimina rerum in suis ecclesiis, prioratibus, residentiis, gymnasiis, convictibus et parochiis denuo eodem sicut antiquitus, immo maiore splendore Deo et Patriae famulantur sacrificantes, docentes et educantes, verbum Dei seminantes, animas pascentes.

Haec omnia Deo iuvante prudentia, perspicacitate, prospicacitate, atque indefessa adlaboratione Pauli Gerinczy praepositi et praelati successerunt, qui primo lustro praelationis suae expletio dignus est habitus, ut a Domino Gubernatore Regni media Hungarici Ordinis Benemerentium cruce cum stella insigniretur.

L. S.

II. Vendelinus Endrédy a. 1895 in pago Fertőendrédy (comitatus Sempronensis) natus studia mediarum scholarum in gymnasii O. S. Ben. Sempronensi Jaurinensiique absolvit. In ordinem Cisterciensium a. 1917 ascitus est. Cum studia superiora in academia theologica ordinis Cist.

atque in Universitate Pazmanyana Budapestinensi perficeret, in quaestib; ad mathematicam atque physicam pertinentibus iam ab initio ingenium singulare eminuit. A. 1922 magister gymnasii Emericani O. Cist. Budapestinensis factus est, ubi etiam facultates eius paedagogicae evolutae excultaque sunt. Praefectus studiis, postea praeses sectionis Societatis Nationalis Magistrorum Med. Schol., a. autem 1938 rector gymnasii Cist. Budapestinensis factus est. Adolpho Werner abbatे mortuo confrates unanimitate ducti eum ordini praefecerunt, itaque Vendelinus Endrédy, qui ob scientiam oeconomiam ingeniosam etiam extra Hungariam auctoritate florebat, novus abbas Zircensis senator superioris domus legislatoriae Hungaricae, non solum ordini suo, sed etiam toti collegio paedagogorum Hungaricorum nec non reipublicae institutoriae decori est, qui et gravitate et suo pondere paedagogico factor forensis est. Cum ordo Cisterciensium nuper octavum centenarium in Hungaria celebraverit (vide IUVENTUS pag. 73 m. Maii), honor a Gubernatore Endrédy abbatī impertitus non solum magnificum laborem eius educatorum constructivumque laudibus effert, sed etiam ordinem, qui 800 annis ante Bela III regnante in medio regionis Bakony sede collocata populum nostrum in multa genera vitae oeconomiae introducens agriculturam et artificia docuit, animos spiritumque excoluit atque erudit.

Ex actis diurnis *Nemzeti Ujság*.



Dr. Paulus Gerinczy.



Vendelinus Endrédy.

## AENIGMATA.

### Solutiones aenigmatum numeri IX. (m. Maii):

1. Colo, odor, loca, oram. — 2. Canis, arena, necat, inaro, sator. — 3. M, sal, salus, malacia, lucus, sis, a. — 4. Pluvia. — 5. Proconsul. — 6. Carthago. — 7. S, is, bis, abis, tabis, stabis. — 8. Candida de nigris et de carentibus atra facere. — 9. Hastis trium nummorum causa sub falas subire. — 10. *Ad Libram*: 1. Martialis. 7. Ani(o). 8. Lac. 9. Nec. 10. Implet. 12. M. 13. Scaevola. *Ad perpendicularum*: 2. Arcis. 3. Talpa. 4. In. 5. Venia. 6. Lacti. 11. LE.

**Aenigmata reete dissolverunt:** G. Moldoványi (*Verböczyanum*), Eva Brámer, Susanna Frank, Jul. Györgyey, Cl. Hajdú, Eva Hartmann, Eva König, Eva Schlinger, Eva Weisz (*Veresianum*), Sus. Lówy (*Zringianum*), Martinus Légrády (*Ladislainum*), Eva Nemes (*Elisabethum*), I. Mosonyi (*Giselanum*), St. Grósz (*Scholae Piae*) *Budapestinenses*.

Lad. Versényi *Bajanus*. Ern. Keller, *Zoltanus Nagy Dombóvariensis*. Antonius Józsa *Győngyösiensis*. Frates Horti *Jászberényenses*. J. Schmidt *Mohacsensis*. El. Bagossy, Hel. Csák, M. Csengery, L. Csurilla, *Catharina Gombos*, Hel. Kántor, Cl. Kató, M. Koch, M. Krajcsik, Jud. Molnár, Aur. Nagy, Hel. Pintér, Val. Schág, I. Szabó, Pr. Szinay, El. Tóth, M. Török (*thygatrogymn. conf. Helv.*) *M.-Varadinenses*. Zolt. Gaál, Lad. Balogh, And. Berecz, *Ladislaus Nemesvölgyi*, O. Pálos, P. Szabó, J. Gerebenics, Tib. Schweighoffer, Fr. Turner (*Maurinum*) *Papaenses*. Martha Schneider (*Elisabetheum*) *Szegedinenses*. Jos. Bugyi, Lad. Falábú, G. Fényes, G. Horváth, Val. Ibolya, Z. Katona-Kis, *Emeritus Kovács*, Al. Molnár, Al. Keresztes-Nagy, St. Orgován, Em. Palásti, Sig. Rácz, O. Szabó *Szentesienses*. Clara Komlós (*Ursulanum*) *Scarabanta*. Frid. Kreiner *M.-Canissanus*.

Crassis litteris indicantur, quibus praemium ab Societate Mag. Cath. Med. Schol. datum sorte obvenit.

### 1—2. Quadrata magica.

	1	2	3	4
1				
2				
3				
4				

- A A A A 1. Poma Romanis gratis-sima.  
 E E G L 2. Color luctus et tristitia.  
 L M N O 3. Oculis cognoscit litteras, verba, etc.  
 O R R T 4. Frater Mosis, ducus Ju-daeorum.

Phil. e com. Merán disc. Piani (Pécs).

- A E E I 1. Frater Romuli (dative).  
 I I I M 2. Futurum verbi «esse».  
 M O O R 3. Forma verbi «mittere».  
 R S T T 4. Contrarium negotiorum.

Eva Bramer disc. Veresiani Bp.


### 3. Aerostichum.

• nitium	• nteger	• xtra	• rbanus
• omen	• abula	• agnus	• enatus
• oga	• nter	• reces	• ens
• xercitus	• loria	• quis	• rbor
• obur	• beo	• ector	• bique
• eus	• ovem	• ollo	• ens
• rbs	• rado	• go	• mericus
• vis	• rgo	• egnam	• uus
• uperbus	• olus	• artius	
• epus	• emper	• nvidia	

Litterae initiales proverbium notum indicant.

Nic. Székely disc. Zrinyiani Bp.

### 4. Aenigma rotundum.



Si primam literam recte inveneris, circumiens quaere quintam quamque literam, dum sapientem Romanum accipias, qui plebem seditionis fabulam narrando sedavit.

Hipp. Kiss disc. (Makó).

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: Fr. Kohl jun.

### 5. Diagonalis in quadrato.

1							
2							
3							
4							
5							
6							
7							

A	A	A	A	B	C	D
D	E	E	H	I		
I	I	L	L	L	M	M
M	M	N	O	O	O	O
P	P	P	R	R	S	S
S	S	S	S	T	T	U
U	U	U	U	U	U	U

1. Sarmenta. 2. Concremo. 3. Madidus. 4. Multitudo omnium civium patriae. 5. Humo, in sepulcro condo. 6. Conatus, amor, disciplina. 7. Collegium patrum, qui populum regebant.

Diagonalis nigro significata conditorem Romae indicat.

Julius Igli disc. Dombóvariensis,

### 6—7. Ad saltum equulei.

om-	id	for-				sic	
nis	est.	da	e-	va	i-		er,
Qu-	rit,	qu-	tu-	Mac-	pu-	no-	ra.
fe-	ran-	do	su-	a-	vir-	tur	te,
		id	na			st-	
		ren-	pe-			ad	tu-

Georgius Gáti disc. Bp.

### 8. Scalae.

- R A . . . . Tribus antiqua Romanorum.  
 . R A . . . Agricola arans.  
 .. R A . . Mera, non mixta.  
 ... R A . Veneratur, honorat.  
 .... R A Forma, species.

Lad. Almássy disc. Klauzaliani (Szeged).

### 9. Logographus.

Fertile rus aror et seror et do tempore fruges.

Consona, quae media est, sit duplicata mihi!  
 Murus compactus lignis, saxisque lutoque  
 hostes aut undas sistere compos ero.

Fr. Palata Trebicensis (Moravia).

Nota. Lectoribus minimis: 1—4, mediis et maioribus 5—9. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányos utca 20.) mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségebe.)

Terminus solutionum: Calendae Novembres.